

Caspar March

**Programma Quo Universitatis Rostochiensis p.t. Rector, Caspar March/ D. Med & Math. Pr. P. Ad cohonestandas Exequias quas ... Luciae Kohlblatts/ Coniugi suae desideratissimae Vir ... Dn. Henricus Rudolfus Redeker/ I.U.D. ... Hodie ... paratas cupit, Omnes omnium ordinum cives Academicos ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771914989>

Druck Freier  Zugang



March, C.  
in  
**L. Kohlblatt,**  
uxor. H.R. Redeker.  
Rostock, 1664.







PROGRAMMA 86.

Quod  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
p. t. RECTOR,

CASPAR March/ D.

Med & Math. Pr. P.

*Ad cobonestandas Exequias  
quas*

*Honestissima omniq; Virtutum genere Ornatissima*

LUCIÆ Rohlblatts

Conjugi suæ desideratissimæ

*Vir Amplissimus & Consultissimus*

DN. HENRICUS RUDOLFUS


RECTOR, J. U. D. & Prof.

Sereniss. Ducis Meklenb. Consiliarius & Ducalis  
Consistorii Assessor



*die horâ 1. in Aede Mariana paratas cupit,*

*animum Ordinum Cives Academicos eâ quâ  
par est humanitate invitat.*



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. A<sup>o</sup>. 1664.

2



Atalis erat Matronæ le-  
ctissimæ, cui iusta modo persol-  
vere cupimus, aurora diei Do-  
minicæ post S. Trinitatis festum  
primæ, quâ publicè in Ecclesiis  
nostris explicatam audivimus  
Evangelicam illam de *Divite &*  
*Lazaro* historiam parabolicis  
hinc inde verbis propositam, doctrinæ solaminisque  
plenissimam. Unde nobis in ultimum piè defunctæ  
honorem parentandi argumentum suppeditatur ex-  
optatissimum. Quemadmodum enim in *Mundo* duo  
distinctissimæ sortis genera Hominum, *Divitum & Pau-*  
*perum* nunquam non offeruntur, ita & in *Ecclesia* vera,  
quæ mysticum Christi corpus est, & *Divites & Paupe-*  
*res* subinde & quasi promiscuè deprehenduntur. De  
Mundanis illis Divitibus sic *Mundus* iudicat pro cæcitate  
suâ, quod *Cœlum* possideant in terris, cum ad *Vo-*  
*luptatem* illis vix unquam aliquid deesse putet: neq;  
in eo quidem fallitur ad eò, quod *Cœlum & Volupta-*  
*tem* continuam, nulliusq; desiderabilis boni defectum  
pro

pro iisdem habet: sunt enim hæc in sano sensu velut  
synonyma, At fallax nimis persuasio est, quod ista  
suorum divitum Voluptas pro verâ, cœlestique com-  
paranda venditur. Longè rectius de his qui *Spiritus*  
sunt *divites* id prædicant majori intellectu lumine  
præditi Pii, quod Cœlij iam tum in terris sint participes,  
abs quâ tamen felicitate nullatenus excludunt iudiciò  
dexterimò suò etiam eos, qui *Pauperes* sunt *Spiritus*:  
Utraquè enim hæc fors concurrit ut plurimum  
in personis iisdem, mirâ quâdam multiplicatâque vi-  
cissitudine semet invicem excipiens. Quâ de re ut ali-  
quantò plenius conceptus nostros, è verbo divino sa-  
crisque concionibus haustos exprimamus, agite con-  
siderabimus in præsentiarum sacram illam tum inno-  
minati *divitis*, tum *Lazari pauperrimi* in Evangelicâ hi-  
storiâ descriptionem. De *divite* illo id hæcenus ex  
Ore Salvatoris, quod *Dives* fuerit, quod *purpurâ* &  
*byssò indutus*; quod *splendide vixerit quotidie* & *in gau-  
dio*. Applicemus isthæc ad *divites in regno Christi*: Ac  
*dives* quidem cum ille sit, qui opes thesaurosque pos-  
sidet, qui proinde sat contentus esse potest bonis suis,  
& vix habet quod desideret, quique in alios bona plu-  
rima conferre potest, sine dispendio, & sortis suæ rui-  
nâ; quis mente satis illuminatus non agnoscit has om-  
nes condiciones etiam in esse Veris Christi membris,  
fidelibus dilectisque Dei filiis? Hi enim, quia *fide Chri-  
stum*, cum Christo illo vero Deo possident *omnia*, opi-  
bus-



busque abundant, non equidem (nisi rarissimè) illis  
quæ furtis, rapinis, incendiis aliisque sequioris fortu-  
næ casibus subjacent, quas cœci mundanorum animi  
æstimant, sed sublimioribus multò & mundi thesauros  
quoscunque longissimè superantibus, Gratiâ nempe  
divinâ, Sapientiâ cœlesti, Pace Conscientiæ, & securi-  
tate plenissimâ consequendæ æternæ felicitatis. *His*  
*tantis bonis illi exquisitissimè contenti vivunt*, in summâ  
animitranquillitudine, viliora spernentis, & plura  
neutiquàm desiderantis. Hisce illi supra modum fe-  
lices & instructi, largissimè bona plurima derivant in ali-  
os citra ullum sui dispendium: *Doctrinâ* & *informa-*  
*tione* Sapientiam cœlestem, thesauris omnibus supe-  
riorem, & amorem Jesu, qui præstat omnibus Scien-  
tiis, aliorum animis inculcant; *vitâ exemplari* pietatem  
accendunt in aliis, quæ est ad omnia utilis; *Solamine*  
*firmissimo* erigunt afflictissimos, quò nullum datur be-  
neficiū excellentius; *Precibus* denique suis mundum  
omnem conservant, & benedictionem à Deo impe-  
trant eâ cæteroquin indignissimis. Sed progrediamur  
à *divitiis* ad *Amictum* nostri *Divitis*, quem *splendidum*  
omninò fuisse, constantem in primis ex *purpurâ* & *byssō*,  
sacra memorat historia. Quod si verè *Christianorum*  
spiritualem *amictum* attentius consideraverimus, de-  
prehendemus eum omni isto mundano ornatu infini-  
tis modis excellentiorem. *Induerunt* illi in primo S.  
baptismatis lavacro *Christum ipsum*, qui totus Lux in-  
creata

creata est, cuius splendor longissimè omnem etiam  
solis fulgorem superat. In omni porrò vitâ sua illi *per*  
*fidem induiti* induiti incedunt veste salutis quæ est *Ju-*  
*stitia Jesu Christi!* Nec *purpura* illis, aut *byssus* deest:  
*Byssum* repræsentat niveus *Animi Candor*, vitæq; *purri-*  
*tas*, quam si fortè lædi contingat, aut conspurcari pec-  
catorum maculis, has quàm citissimè eluunt *Lacryma-*  
*rum* quas serâ exprimit poenitentia, lixivio, & appre-  
hensio per fidem *Christi sanguine*, qui mundat nos ab  
omni peccato. *Purpuram* suppeditat tum igneus *amo-*  
*ris fervor* in *Deum & Proximum*, quo nunquam non  
flagrant verè pii; tum *Pudor* Christianæ humilitatis,  
quam salutaris agnitio nativæ miseriæ, & peccatorum,  
quibus subinde per imbecillitatem carnis, *Sathanæq;*  
& *Mundi* seductiones polluuntur, excitat; tū justissima  
super propriis & mundi sceleratissimi vitiis, quæ sine in-  
dignatione animadverti non possunt, *Excandescencia*.  
De *Divite* illo tandem refertur, quod *vixerit* quotidie  
*splendidè, & in deliciis*; vescendò *cibus delicatissimis*, satian-  
dò semet *potu generosissimo*, miscendò *sermones* cum sui  
similibus *gratissimos*, auresq; præterea pascendò *Mu-*  
*sicâ suavissimâ*: in his enim ferè consistunt mundanæ de-  
licia, quibus ille *Dives* indulgit quotidie. Suppetunt  
isthæc omnia suò sed sanctiori prorsus modò etiam  
piis, & *Christi fidelibus*: vescuntur illi quotidie verò  
*Cibo Vitæ*, qualis est sanctissimum *Dei Verbum*, saturans  
animas *Evangelicis* de *Remissione Peccatorum* &  
obtin-

obtinenda demum æterna beatitudine promissionibus. Pascuntur iidem omni die perfidem Cibò Salutis, *Carne & Sanguine Jesu Christi*, quem & ore capiunt, quoties id fieri pia suadet devotio. *Inebriantur* illi quoditiè ubertate Domùs Dei, *qui potat eos torrente voluptatis*, uti exultans obinde testatur Regius Psalter; Ps. 35. Ac de hisce Dei Magnalibus, *beneficiisq; gratissimos* inter se subinde *sermones* miscent, unde adeò replentur spiritu, ut juxta Apostoli monitum Ephes. 3. non in tantus solùm *in corde cantent psallantq; Deo*; sed & extrinsecus suavissimò sibi, Deoque gratisimò cantu hymnos enuncient, internique quo superabundant gaudii documenta publicitùs edant. Et ista quidem *Piorum Voluptas*, uti fundamento nititur constantissimò, amore nempe, quam experiuntur, divinò, constans omninò est & *perpetua*, nec tollitur ullis vitæ, fortunæ, valetudinisque casibus, utpote qui omnes uti sublimiori illo Principio longè inferiores, ita animos Deo deditissimorum parùm aut omninò non afficiunt. Intelligitis, ô mei, quàm sint *in Christo Divites Dilecti Dei Filii*; Cognoscite nunc & paucioribus, quàm ratione iidem spectentur ut *pauperes & miseri*, *Lazaro* in historiâ Evangelicâ non minus comparandi. *Paupertas* rerum necessariarum *Defectum* notat, quem, utur gratiâ Divinâ sat divites, subinde tamen Pii omnes experiuntur: *Defectus* in his quandoque occurrit summi Christianorum boni, *Fidei*; etsi enim eam  
exstin-

extingui penitus in illis non patiatur Divina benignitas, eatenus tamen illa quandoque deficit pios, ut nec ipsam illam salutarem in Deum fiduciam sentiant amplius, immò nec desiderium illius; & quod miserabile maximè est, nec desiderii illius desiderium, conservante saltem Spiritu S. velut sub cineribus exiguam fidei scintillulam, quam solis ille ineffabilib<sup>9</sup>, quos pauperes illi non sentiunt, gemitibus salvã præstat. Accedit huic tantæ indigentæ etiam *Precum defectus* ut nec Orare, nec gemere sæpè, nec ullas mentis cogitationes ad Deum elevare possint: sublatã enim ad sensum fiduciã in Deum, non suppetit illis, quò ad implorandum, eum poterunt impelli aut moveri. Hinc deficit eos præterea *omnis solatii sensus*: Cum enim istud non aliunde fluat Christianis, quàm ex certitudine affectus in Deo erga se verè paterni, hunc verò ob fidei defectum tantùm abest ut sentiant, ut aversum à se prorsus animum Dei, ac hostilem potius existiment, non possunt non vel desperare de omni solamine. Hinc *ulcerati* jacent *in conscientia*, tentationum insuper ignitis telis animam subinde vulnerante *Diabolò*, quæ miseria summa est, & prorsus ineffabilis, constituens in inferno eum, quem cœli tamen incolam, æternæq; beatitudinis participem futurum Deus novit. In hoc statu ferè *Lazarus* h. e. omnis auxilii inops apparet; nulla enim humana sagacitas & industria sanare potest animæ ista vulnera, nulla consolatio erigere potest, quem  
Deus

Deus coniecit in cordolium. *Ante fores ditissimi Dei, & liberalissimi innumerorum bonorum in omne mortali-um genus Elargitoris, quem Patrem, sic orare iussus, vocat, quemq; vel prævenerunt gratiosâ exauditione preces suas, promissis in verbo suo confidens sperat, diu lamentat & queritur, continuis suspiriis gurtulam solaminis expetens, sed nequidquam se obtinere animadvertit, exitiosâ ob id desperationi proximus. Ecquid enim spei reliquum omni Creaturarum auxiliô destituto, ubi Deum insuper frustra implorari sentit, tam cæteroquin erga suos facilem? Et judicaret sanè omnis humana Ratio, Deum dereliquisse miserum, huiusmodi peccatorem, & desuisse amare, nisi captivatâ sub obsequium Fidei ratione, credendum esset Verbo infallibili, sanctissimam & salutarem Dei etiam in hõc casu subesse intentionem (1) ut Fides probetur, quæ fundari non debet in sensu gratiæ divinæ, sed in Verbo promissionis veracissimæ, quod Gratia sua constans sit & duret in æternum, quodq; nec inferorũ portæ prævalere debeant sibi credentibus, (2) ut adsuescat homo abnegare seipsum, & indignum se æstimare vel unicâ solaminis divini gurtulâ. (3) ut addiscat morem Dei, qui tùm quàm maximè consolatur, quando omni solaminis sensu destituit, tùm præsentissimus est, cum abiisse nosque deseruisse videtur: sine solamine enim, etsi ejus nullus omninò sensus sit, non possemus vel ad momentum in tentationibus ejusmodi subsistere.*

Habe-

Habetis, Amicissimi, non ingrati nec infrugiferam, quod spero, *Opulentia & Paupertatis* in regno Christi delineationem, cujus vivum exemplum suppeditabat, dum supererat, *Beata nostra*. Vidimus eam & *Divitem* spiritualiter & *Pauperem*, pauperem in divitiis, in paupertate divitem, mirâ, sed usitatâ satis apud Christianos utriusque sortis combinatione & vicissitudine. *Ditaverat* eam Deus, uti erat Pietatis & Virtutum omnigenarum exemplar, excellentissimis gratiæ suæ donis, *fide sincerâ, amore* erga se & proximum minimè fucato, *vita integritate* eximiâ & *Patientiâ* prorsus exemplari; *splendebat* hisce, dum vivebat, in oculis illuminatarum mentium, piissimeque *consenta* iis erat, per omnem vitæ, quem nobis cognoscere licuit, statum, ut ut valetudinis sæpè adversissimi casus miseram eam infelicemque stiterint vulgari luxuriantis Mundi iudicio. Vidimus tamen, sub prolixo satis gravissimi fatalis morbi cursu in tantâ spiritualium bonorum ubertate subinde etiam pauperem, quam suppressâ quandoque inter dolores exquisitissimos illâ cæteroquin sat radicatâ in Deû fiduciâ, quem adversum sibi sui que immemorem queritabatur, cessante Divinæ gratiæ, & Paterni amoris sensu. Nec tamen oppressam istam penitus fuisse unquam apparuit, propullantibus subinde sat conservatâ intus fidei igniculis, quam gemitibus devotissimis succinctaque precum formulâ per intervalla, & constantissimum dissolutionis abitusque in patriam cœlestem desiderium integram testabantur, unde internam divini solaminis ubertatem, cum apparenti extrinsecus deficientia conjunctam, manifestò licuit colligere, felicissimamque adeò eam sub externa & miserabili miseriâ æstimare. Superest, pro more recepto, ut in ultimum honoris complementum honestissimæ *Matronæ* Ortum, *Vitam Fortunam*, *Mortemque* beatissimam paucis exponamus. *Natam* accepimus nostram hanc pientissimam *LUCIAM Rohlblatts* / Anno 1634 die 14. Octobris, Chilonii, *Patre*, Viro Ampliss: & Clariss: Dno: *MARCO Rohlblatt* / Potentissimi Regis Daniæ & Serenissimi Ducis Holsatiæ per Ducatus Slesvicens: & Holsatum *Quæstore*

B

&

& iudicii Provincialis Notario fidelissimo; *Matre*, Fœminâ sexus  
ui virtutibus decoratissimâ, ANNA Faust. *Avus* ei *Paternus* fuit  
Vir Ampliss. & Prudentissimus Dominus PAULUS Rohblatt/ Con-  
sul Chiloniensis meritissimus; *Avia Paterna*, Fœmina ornatissima  
ANNA Berens. *Avus Maternus* Vir Ampliss. & Spectatissimus Dn.  
PAULUS Faust/ itidem Potentissimi Regis Daniæ & Sereniss. Ducis  
Holsatiæ Quæstor, & iudicii Provincialis Notarius. *Avia Materna*  
URSULA Reichen/ Viri Prænobilis & Consultissimi Domini JOA-  
CHIMI Reichen/ J. U. Licent: S. Reg. Maj. Daniæ Consiliarii, &  
URSULÆ von Ramchen/ Fœminæ Clarissimæ Filia. Hoc tam ho-  
nesto stemmate prognatam, & sacro Baptismatis medio Ecclesiæ  
Christi incorporatam, Parentes optimi à primis infantiaë annis  
solicite curarunt, omni Virtutum Fœmineum sexum exornanti-  
um genere imbui, quod nec difficulter obtinuerunt, egregiâ na-  
tivæ indolis bonitate ad optima quæque properante. Hisce er-  
go animi dotibus non minus condecorata, quam corpore Venu-  
sta ad nobiles ubi annos pervenit, haut difficulter in amorem sui  
traxit Virum Ampliss. & Experientissimum, Dn. CHRISTOPHO-  
RUM Henninges/ Med. D. & Gymnas. Bordscholmenensis Medicum  
felicissimum, quocum Anno 1654. 10. Julii Matrimonium iniiit,  
coluitque per sex annos concors omnino nec infrugiferum: nata  
enim exinde est filia unica quidem, sed bonæ spei ANNA CHRI-  
STINA superstes adhuc, & Parentum præmaturus obitus dein-  
ceps sine dubio magis, quam nunc ob teneritudinem ætatis fieri  
potest, luctura. Amisit enim illa Patrem, hæc nostra Maritum  
sibi dilectissimum anno 1660. acutæ Febris violentiâ die 8 Augusti  
extinctum. Deploravit ea Conjugis desideratissimi tam citatæ  
amissionem perpetuis ferè in biennali viduitate lacrymis, nec vel  
cogitasset alterius matrimonii fœdus, nisi singulari Dei Providen-  
tiâ, res humanas omnes disponente, Ampliss. & Consultiss. Dn.  
HENRICUS RUDOLFUS Redeker/ J. U. D. & Prof. in hac Acade-  
miâ celebratissimus, Sereniss. Ducis Meklenburg. Consiliarius &  
Consistorii Ducalis Assessor gravissimus, eam ob laudatissimam  
vitæ

vita probitatem, & venustatem morum suavissimam honestè ambivisset, cujus voto cum refragari nec voluerit, nec potuerit facile, suasu suorum Anno 1662, 18. Augusti cum eodem secundum contraxit matrimonium, priori equidem minùs adhuc annosum, cæterum non minùs faustum & concors atque pacatissimum. Fuit enim reciprocus utrinque amor, eadem ambobus voluntas, & parile utriusque partis alteri placandi studium: Probavit imprimis amorem fidemque conjugalem dilectissimæ suæ Maritus Amplissimus, quando pro conservandâ vitâ & redintegrandâ valetudine suavissimæ. Conjugis in signem semper testatus est sollicitudinem, curamque adhibuit quàm fieri potuit, maximam. Etenim, postquam illa, unâ cum Maritò ex Patriâ Hofatia, quorsum animi & amoris causâ iverant, noviter redux, ipsâ *Dominicâ Palmarum*, post peractum in *Æde Johannis* vicinissimam devotionem, sub prandiò, insperatò aliquò *inordinati immodiciq; sanguinis fluxus* symptomate correpta, coacta fuit decumbere, prostratis actutum insigniter viribus, nihil prius habuit Conjux fidelissimus, quàm ut (imploratò semper Supremi Numinis auxiliò) prudenti Medicorum Curæ eam quanto cyùs commenderet submitteretque. Quapropter ordinario Domus suæ Medico, Experientissimo Dn. D. *JOHANNI BACKMEISTERO*. Prof. P. & Physico Civitatis meritissimo, Collega & Compatri meo honorando me quoque adjungi voluit, ut communibus unitisq; consiliis oppugnaremus vehementiam morbi, viresque ac vitam dilectissimæ sibi conservaremus. Nec intermissum quidquam abs nobis prudentiæ fuit aut remedii, ut profusò tam enormiter vitæ restaurò, sanguine, tantillum quod superesse videbatur spirituum ac virium conservaretur: neque etiam successu caruit hæc sollicitudo nostra, quando quidem intra tres quatuorve septimanas in tantum restauratæ vires fuerunt, ut potuerit ipsa imbecilibus quamvis pedibus ire, quorsum id rei domesticæ, cujus observantissima erat, cura singularis posceret. Ast, quoniam per antecedentem affectum vix dum sopitum, omni vigore exuta erant

san-



sanguificationum viscera, in Corpore cœterequin Cæcochy-  
nico mox subortam vidimus Cachexiam, Hydropisim, Tym-  
panitidem, cum febre primùm intermittente, sed erraticâ,  
nox continuâ & satis ardenti: Cui malorum cumulo acce-  
dente insuper vehementissimorum & lancinantium in abdomine  
dolorum continuitate, frustra opponi quæcunq; remedia a-  
nimadvertimus. Hisce ergo, & si vel ad ipsum usq; finem nō  
sine spe aliquâ semper usâ fuerit, antè tulit tamen piissima  
Matrona sanctiora Salutis remedia, unde, præterquam quod  
ipsâ Dominicâ Rogate ab animæ suæ Curatore, Reverendo  
plurimum & Clarissimo Viro Dn. Joachimo Lindemannō,  
Archidiacono Mariano, Carne & sanguine salutiferō Jesu  
Christi sacramentaliter pasta fuit, totō deinceps morbi  
tempore sanctissimis precibus suspiriisq; Jesu Salvatori suo  
setotam commendavit, inq; acerbissimō & propemodum  
lethali non plurium dierum, sed aliquot septimanarum a-  
gone [alternante, ut fieri solet, juxta ea, quæ supra diximus,  
interni solaminis defectu atq; ubertate] fidelis ei permanfit  
unde tandem gratam tantæ crucis catastrophæ obtinuit,  
concessō ei divinitus, ut placidissimè ipsâ primâ post Tri-  
nitatis Dominicâ intra 4. & 5. matutinam expiraverit animâ,  
æternū triumphantium Choro mox associatam.

Nunc quia Corpori sua quoque quies paratur, nostrum erit, Cives /  
eademici, frequenti comitatu publicè testatum facere, quanto perevene-  
remur cumulatissimas in Beatâ nostrâ Virtutes, Fideiq; singularem constan-  
tiam, quamque parati simus ad benevolentiam & officiorum promptitudi-  
nem erga Maritum Patremq; incestissimos, quavis ratione declarandam.  
Quibus de cætero Spiritum solaminis & faustiora deinceps seriō precamur.


P. P. sub Sigillo Vniversitatis, diē XXII Junii Anno MDC LXIV,

Conventus fiet in Æde Marianâ horâ I. p. m.









vita probitatem, & venustatem mor-  
bivisset, cujus voto cum refragari ni-  
cile, suasu suorum Anno 1662, 18. Au-  
contraxit matrimonium, priori equi-  
ceterum non minus faustum & concu-  
enim reciprocus utrinque amor, ead-  
rile utriusque partis alteri placandi si-  
amorem fidemque conjugalem dilu-  
plissimus, quando pro conservanda  
tudine suavissima. Conjugis  
est sollicitudinem, curamque adhibi-  
mam. Etenim, postquam illa, una  
faria, quorsum animi & amoris causa  
*Dominica Palmarum*, post peractum in-  
devotionem, sub prandio, insperato  
*sanguinis fluxus* symptomate correpta  
prostratis actutum insigniter viribus  
fidelissimus, quam ut (implorato se-  
xilio) prudenti Medicorum Curæ e-  
ret submitteretque. Quapropter  
co, Experientissimo Dn. D. JOHANN  
& Physico Civitatis meritissimo, Colla-  
rando me quoque adjungi voluit, ut  
siliis oppugnaremus vehementiam ne-  
lectissimæ sibi conservaremus. Nec  
nobis prudentiæ fuit aut remedii, ut  
etaurō, sanguine, tantillum quod  
ac virium conservaretur: neque eti-  
cicudo nostra, quando quidem intra  
in tantum restauratæ vires fuerunt,  
quamvis pedibus ire, quorsum id rei-  
risima erat, cura singularis poscere  
cedentem affectum vix dum sopitur.

nam honestè am-  
, nec potuerit fa-  
odem secundum  
adhuc annosum,  
acatissimum. Fuit  
us voluntas, & pa-  
robavit imprimis  
uæ Maritus Am-  
integrandâ vale-  
semper testatus  
eri potuit, maxi-  
tō ex Patriâ Hol-  
oviter redux, ipsâ  
inis vicinissimam  
*dimati immodicig,*  
uit decumbere,  
is habuit Conjux  
emi Numinis au-  
yus commenda-  
omus suæ Medi-  
ISTERO. Prof. P.  
patri meo hono-  
bus unitisq; con-  
sque ac vitam di-  
m quidquam abs-  
enormiter vitæ  
debatur spiritui  
caruit hæc solli-  
orve septimanas  
ipsa imbecillibus  
cujus observan-  
oniam per ante-  
gore exuta erant  
san-

